



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XLV. Parochiæ augendæ, ornandæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Cleri potē-
tia utilis
principibus.

Melius pau-
cos esse bo-
nos, quam
multos inu-
tiles.

Parochi à
prebendis
populo sa-
cri.

Olim curio-
nes apud
Romanos.

Perpetui
Vicarii ex
abusu.

Parochi re-
ditus & ho-
nos infra
canonicos.

Parochia
recte consti-
tuenda sūt.

Boni Para-
chi collo-

§. 7. Clerum igitur & diuitem, & copiosum esse sa-
luberrimum est reipublice; reges & principes eos
semper experti sunt fidelissimos, arces, & vrbes illis tu-
tissime commiserunt, exemplo Dauidis. Quod si ta-
men multi sint inutiles noxiique, opportunis ratio-
nibus illi corrigendi, quod non difficulter consequetur
princeps, si vel vnum bonum Episcopum, aut Ar-
chiepiscopum nanciscatur. De hisce placet Clementis
constitutio, quæ est distin. 2. c. 3. Tales ad ministerium
eligantur Clerici, qui digne possint dominica sacramenta tra-
ctare: melius est enim Domini sacerdoti paucos habere mi-
nistros, qui possint Dei digne exercere, quam multos inutiles,
qui onus graue ordinatori adducant. Graue plane onus est,
qua aliqui inutiles, aut prauit totum ordinem infamant.
Sed propter vitiosos non est ordo abiiciendus,
sed reformandus, substitutis in eorum locum melio-
ribus. Neque enim magistratum e medio tollunt,
quia nonnulli vitiosi, sed idoneos in decedentium
loca subrogant.

CAPVT XLV.

Parochia augende, ornande.

§. 1. **P**arochos quidam Paræcos ἀπό τῆς παροικίας
nominant; est enim παροικία vicinia, habita-
tio, hominumque conuentus, sed malo vsum sequi,
quam Budæum, qui in commentario lingua Græcæ
ita dicendum affirmat. Malo itaque dictos à præben-
do ἀπὸ τῆς παροικίας, quod sacra præbeant populis, quæ-
admodum Parochia apud Romanos Græcæ voce no-
minamus, qui legatis, & magistratibus præbebant
Ligna salemque.

Iidem Curiones, sed rarius dicuntur, quod è curiis
Romanis olim qui sacris præessent eligerentur. Hi
præcipue in Christiana republica à cura animarum,
dicuntur, Curiones, Curatores, Curata beneficia pos-
sidentes. Rectores & Plebanos etiam iura appellant.
Rectores quidam perpetui, seu vicarii perpetui dicti
sunt, qui in locum rectoris ab Episcopo instituti sunt,
ne ad assiduam residentiam teneretur rector prima-
rius, quæ res leui initio introducta, nunc in diuites ius
parochiarum multarum transfudit, & vicarios substi-
tuit parum idoneos, deriuatis alio prouentibus.

§. 2. In Ecclesiis Germanicis, parochiis præsertim
oppidorum, & pagorum minus commode prospectu
est. Defectus est in sustentatione Parochi: cum enim
necesse sit Parochum esse doctum, laboriosum, vitæ
bonæ, cum magni sint eius in canendo, concionan-
do labores, periculaque, minor est tamen quam ca-
nonicorum prouentus, minor etiam dignitas æsti-
matur. Graue itaque hoc est Ecclesiæ vulnus, & ab a-
nimoso, fortique visitatore sanandum. Hoc erratum
est. Moritur canonicus, mox viginti ad collatorē con-
uolant, aliquando precio redimunt. Ad parochos id-
oneos habendos necesse est seminaria instituere, spe-
canonicatum omnia aguntur, parochorum onera
plerique refugunt.

§. 3. Parochorum bene constituendorum vna est
& facilis ratio, si parochia constituantur recte. Hoc
est eiusmodi sint parochia: vt tanto desiderio expec-
tantur, quanto Canonicatus. Sint labori non omni-
no fructus impares. Hoc potentius est remedium,
quam omnia alia, quæ vsurpari possunt. Sunt parochi
quasi parui Episcopi, qui verè officium in suis po-
pulis presbyterorum exercent, itaque liberaliter
illis subueniendum est. Præfunt enim verbo, & o-
pere.

§. 4. Cura illa ita est Episcopo demandata, vt nul-
lo modo salutem ipsæ consequi possit, nisi diligentes,

bonos, doctos, industrios parochos constituat; nam
parochi sunt, qui plebem instituunt, exemplo præbe-
unt. In eadem causa sunt, omnia capitula, & pro suo
munere singuli capitulares, abbates, monasteria
quibus ius est parochias conferendi; nam parochias
olim illi administrarunt, nunc alios substituant, &
cura tamen ad illos pertinet, reddereque rationem
tenentur. Itaque cum sit peccatum mortale, indignum
parochum instituere, aut non punire, non amouere,
consequitur, non modo Episcopos, sed capitulares,
qui suo suffragio talem constituunt, aut tuentur, aut
non agunt cum possunt, vt amouatur, peccare mor-
taliter. Nam cum fere illis in locis decimas accipiant,
sub mortali peccato tenentur illis prouidere, de ido-
neo parocho, vel ex suo corpore aliquem delegando,
vel tantum parocho redituum concedendo, vt ido-
neum habere possint; Timendumque est ne hac ne-
gligentia multi capitularium pereant. Quod si etiam
pereant negligentia parochi, eorum culpa pereunt,
quorum est vigilare, vt parochi officio fungantur.
Nam reuera vt imperatores fortes, ordinumque seruā-
tes milites, & duces industrios, ita quoque exci-
tatos, & zelosos parochos conquirere debet Episco-
pus, & capitula, eos excitare, visitare, hortari. Sancte
in Mediolan. decretum est: Summam vim ac necessita-
tem habet illa Domini sententia: Speculatorem dedi te domui
Israel; & alio item loco, diligenter agnosce vultum pecoris
tui, & considera super greges tuos, vt Episcopi quanta maxi-
ma possunt, diligentia obseruent sibi commendatum gregem,
neque ab eo vnquam oculos deiciant, quid ei opus sit animad-
uertentes, vt ex propheta sententia contrarias partes aligare,
infirmas consolidare, egrotos sanare, abiectas eius reducere,
perditas requirere & recuperare possint.

Deinde perpetuos eius oculos ponit Vicarios foraneos, vt
Episcopus in vrbe etiam externum gregem facilius quasi præ-
sens intruere & curare possit: deligat aliquot probatos sacerdo-
tes, quibus singulis, imposito Vicarii foranei nomine tribuat
certas regiones diocesis suæ. Id autem munus ad Archiepiscopos, re-
ros, Archidiaconos, qui in diocesi sunt, & Praepositos, aliosque
Ecclesiastica dignitate pradios, quos idoneos iudicauerit, potis-
simum deferat, sin minus, ad alios Auctores, qui apti sint ad
huiusmodi officium.

§. 5. Quomodo igitur parochie instruantur, vt id-
oneos habeant pastores? Quæ quidem bonos redditus
habent, facile acceptantur, quin vltro ambiuntur.
Tenuis in vrbeb facile iuantur, si optimus cano-
nicatus, vicaria, aliudve simplex beneficium illis in-
corporetur. Nusquam sanctus de beneficiis dispo-
nitur, ita Colonia, atque alibi factitatum, hinc cele-
berrimi pastores illis in vrbeb versantur. Id maxime
prælati, & Pontifex orbique suspirat, cum in
Cathedralibus, collegiatisque sint viri multi excel-
lentes, ne parochia destituantur, præsentias enim so-
las parochi negant, cætera concedunt. Concil. Me-
diolan. 4. Parochus vero, qui canonicatum dignitatemue, ac
simul Ecclesiam parochialem legitime obtinens, residentia pa-
rochialis munus obit, vt literis Pii V. Pontif. Max. sancitum
est, illius vel dignitatis, vel canonicalis prebende fructus redi-
tusue capiat: at tertia eius partis ne particeps sit, quæ eiusdem
Tridentinae sanctionis auctoritate, in distributiones conuersa,
sibi absenti obuenire non potest, nec debet; sed aliis præsentibus,
chorisque officia obeuntibus, accrescat, aut Episcopi arbitra-
tu, fabrica Ecclesiæ, pisse locis attribuat, ad eiusdem Conci-
lii Tridentini præscriptum.

Concilium Colonienſe anno 1536. ita de his sta-
tuit parte 8. Cum lex diuina precipiat non alligandum os
boni triuuant, quod vtrique non bonum causa, sed propter nos
dictum Christus in Euangelio explicat: Dignus, inquit, est
operarius mercede sua. ac Paulus toto cap. 9. prima ad Corin-
confirmat. Quis enim militat suis stipendiis vnquam? Quis
plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem,
& de lacte gregis non manducat? Neque enim magnus est, si
quis

candi obli-
gatio.

Quid sine
ipſi inſpi-
ciunt, nec
parochos
conſtituunt.

Vicarius
viſitatores
habeat.

ſimplicia
beneficia
incorpora-
da.

Qui
dicit
doſt
nat,
nomi-
nare
iure
natur

qui spiritualia seminant, carnalia etiam metant. Quamobrem discipulandum est, ut parochis Evangelii predicatoribus, certa ac competens subministratio victus & vestitus fiat, idque ad eum modum, ne in adumbrandis sacramentis quippiam exigendo oneri sint parochianis, aut cibum vicatim discurrendo emendicare cogantur, quo nihil turpius aut fordidius.

Imprimis igitur, qui per vicarios seu vicecuratos Ecclesias parochiales regendi potestatem à nobis acceperunt, isdem vicariis tantum ex prouentibus Ecclesie partem assignabunt, quam vitam congrue sustentare possint. Quod nos inter visitandum proratione locorum ac parochiarum vi fiat, ordinabimus.

Ecclesia cathedralis ac collegiata, itidem monachi seu religiosi, qui ecclesias parochiales aut suis ecclesiis, vel non aperiis finitas habent, aut regendas aliis committunt, aut presentando committi procurant: adeo interdum omnem prouentum emittunt, ut residui redditus, qui rectoribus ecclesiarum permittuntur, nimis tenues sint & exiles. Quamobrem nostra cura erit, ut tanta portio rectoribus istis assignetur, unde iura Episcopalia solvere & congruam sustentationem habere possint.

Vbi vero redditus ecclesiarum non sufficiunt, iuris consilium sequendum putamus, nempe ut duo vintantur: aut si id graue videbitur, saltem vna, aut plures etiam vicarie quæ ad altaria in eiusmodi ecclesiis fundate sunt, ipsæ ecclesie parochiales (ut vocant) incorporentur: sic tamen, ut quoad fieri potest, parochiam officium, ob quod Vicaria illæ fundatæ sunt minime negligatur. Porro decimas portusnum parochias ac ecclesie ministris deberi, non dubium est. Nunc quum ille passim à laicis magna ex parte usurpentur, neque facile ex eorum manibus diuelli possint: videndum num diligenti cohortatione, aut alia via iuri consentanea, parochio, cui ecclesie redditus ad victum non sufficiunt, hinc aliquid emendicari possit.

Nec iniquum est, integras prebendas, etiam remotis in diocesi parochiis incorporati, tum ratione decimarum; quia iuris naturalis est, ut qui decimas dant, in spiritualibus sentiant subsidia, tum quia ministri Ecclesie ita debent habere constituta officia, ut quam maxime plebi consulatur; itaque ad ditandas parochias animum conuerteret, quisquis vere gregis curam suscipit; & ingentem abulum, quo fit, ut diuites parochie, vel à nobilibus, vel optimis clericis beneficiorum vorticibus teneantur, & vicecuratus tenui portiuncula aspergatur, in vniuersum tollet. Nā ideo diuites factæ sunt parochie, ut viros eruditione vitæque eximios alant. Quod si beneficia desint, quæ parochiis tenuibus incorporentur, ex multis, aliisque redditibus paupertati parochorum succurratur.

§. 6. Parochia non sunt conferenda pueris, nec vlli, nisi 25. annum attigerit, ut decretales, & concilia statuunt.

Imo doctis tantum, & graduatis, ita Lateran. Concil. Sess. II. Statuimus quoque, quod parochiales ecclesie in ciuitatibus aut villis muratis existentes, non nisi personis modo præmissis qualificatis, aut saltem qui tres annos in Theologia, vel altero iurium studuerint, seu magistris in artibus, qui in aliqua vniuersitate privilegiata studentes, magistrum gradum adepti fuerint, conferantur. Monemus autem præfati regni vniuersitates, sub pena priuationis omnium & singulorum privilegiorum à nobis & sede Apostolica obtentorum, ne collatoribus seu patronis Ecclesiasticis habeant aliquos nominare, nisi eos, qui secundum præfata tempora studuerint, & secundum dictarum vniuersitatum statuta ad gradus & non per saltum prouecti fuerint. Quod si fecerint, ultra nullatenus poenam, quam in præfatarum nominationum literis declaramus, vniuersitates ipsas nominandi privilegio ad tempus, secundum culpam qualitatem, suspendimus. Si quis autem graduatorum, aut nominatorum in mensibus deputatis, à collatoribus ordinariis, aut personis Ecclesiasticis, beneficium vacans in vim gradus, aut nominationis petierit, & collatorem ordinarium in vim præfati gradus, aut nominationis in processu posuerit, & aliter molestauerit, illum ultra expensarum, damnarum & interesse condemnationem, à fructibus sui gradus & nominationis priuandum esse decernimus: eodemque vinculo collatores ordinarios

& patronos Ecclesiasticos, quibus graduati & nominati, debite (ut supra) qualificati suos gradus & nominationis literas insinuauerint, adstringimus, ut beneficia ad eorum collationem vel presentationem spectantia, in mensibus graduatorum simplicium & nominatorum vacantia, stantibus præfatis graduatis aut nominatis debite qualificatis, illa prosequentibus, aliis, quam graduatis aut nominatis conferant, sub pena suspensionis potestatis conferendi beneficia in octo mensibus, illo anno ad collationem eorum, ac presentationem liberam spectantibus. Statuimus quoque, & ordinamus, quod quilibet Rom. Pont. semel dumtaxat tempore sui pontificatus, literas in forma mandati iuxta formam inferius annotatam, & non ultra dari possit hoc modo, videlicet vnum collatorem habentem collationem decem beneficiorum in vno: habentem autem collationem quinquaginta beneficiorum & ultra, in duobus beneficiis dumtaxat grauare possit, ita tamen, quod in eadem Ecclesia Cathedrali vel collegiata, collatorem vnum pro tempore in duabus præbendis non grauet. Et ut obuietur litibus, quæ occasione literarum mandatorum huiusmodi oriri possent, mandata huiusmodi sub forma, quæ est inferius annotata, dari volumus, quæ ad perpetuam rei memoriam in Cancellaria Apostolica publicari, & in illius quinquerno registrari mandamus, declarantes, prosequentes huiusmodi mandata, quod ad beneficia sub illis comprehensa, ordinariis collatoribus, & graduatis simplicibus & nominatis preferendos esse, nosque & successores nostros iure præuentionis, dignitatis, personatus, administrationis & officii ceteraque beneficia Ecclesiastica, secularia & quorumvis ordinum regularia, quæcumque, & quomodocumque, qualificata, tam in mensibus & nominatis, quam ordinariis collatoribus præfatis assignatis, vacantia, ac etiam sub dictis mandatis comprehensa, libere conferre.

At nunc pleræque parochie adeo tenues sunt, ut Grammatici; & Rhetoruli eas negligant. Sint mœcenates, non deerunt marones.

Si igitur seruetur Conc. Trident. constitutio Sess. 25. cap. 15. nulla querela futura est. Statuit sancta Synodus, ut Ecclesiastica beneficia secularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum exprimeant eorum institutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata Vicario perpetuo congrua portione non conuertuntur, &c.

E contrario simplicia in curata mutantur, illisque addantur, nec illa modo, sed tot personatus, tot altaria, quæ tenentur ab ociosis, & secularibus; imo monasteriorum derelictorum, bona, & in varios vsus, vartisque mensas conuersorum ad parochias augendas conferantur: quo fiet ut non modo multi adolescentes se studiis accingant; sed canonici, & vicarii resignatis præbendis ad parochias transcant. Hoc est re Christiana, parochos esse eo loco, auctoritate, eruditione, copiis, quibus nunc sunt Ecclesiarum collegiarum prælati, sic enim vtiliter munere suo fungentur, nunc crebro à suis prælatiis, parochianisque contemnuntur.

Suggerunt hic parochorum aduersarii: opes pastorum, eos lasciuos efficient, paupertas occasio virtutis est. Ego primum quidem sentio falsam hoc esse; plures inopia, & difficultatibus domesticis lapsos. Nam plures pauperes, quam diuites in sordibus illis sunt. Deinde indigna est Ecclesiastico homine obiectio. Si è parochis virtus paupertate extundenda est, si in liberaliori stipendio, in studiosa, & laboriosa vita, periculum est tuine, cur id non primum fugiant illi, qui parochis tam scrupulose consulunt: cur illi aliquot canonicatus possident, pluribus inhiant, parochis pro integritate pauperiem delegant? Sed hic iusto. Ex parochio malo odium nascitur vniuersi cleri, hinc heresis, decimationum fraudatio, bonorum Ecclesiasticorum rapina, canonicorum euersio.

Constituite parochos idoneos, qui duplici honore digni sint, qui laborent verbo & opere, date illis stipendia liberalia, qualia sunt vestra, & maiora vestris.

Pp

Ratio augendi parochias.

Pauperes parochorum maiore periculo agunt.

Plurimum canonicatum possessorum & ociosis de seculari parochis paupertate dissipant.

Quia parochos indolentes nominat, irritum nominat, iure suo priuatur.

Contra ius nature est, ut puer statuatur parochus, & aliorum annuabatur respondet.

Iure natura plebi danti decimas conuenit, ut bonum habeat animarum curam.

paupertas auarus, & riles efficit.

stris, si plus vobis laborant, & videbitis omnia melius cellura. Hæc pro parochis, nunc de officio parochorum dicendum est.

§. 7. De vita parochorum aliud non habeo, quam quæ in communi de vita Clericorum dixi. Nisi quod his magis cauendum est scandalum, ne eos a se homines alienent, quorum animas capere oportebat; nam & inter agricolas, qui imperiti, & imbecilles, offenduntur citius, reconciliantur laboriosius, vitæ agunt, consortio aliorum destituuntur.

Residentia
parochorum
est necessa-
ria.

§. 8. Eorum hæc munera sunt. i. Residere. Concilium Senense, c. 11. Rectores Ecclesiarum (quorum singulis est electa industria) compellantur per suffraganeos nostros quoad fieri poterit, ad personalem residentiam: neque cum illis de non residendo, nisi causa probabili intercedente, dispensetur. Et in Ecclesiis parochialibus per singulos dies dominicos, presbyteri parochiales curati per se, aut vicarios eorum clara voce & intelligibili ac verbis maternis annuntient decem præcepta decalogi & articulos fidei. Et si qui fuerint presbyteri, quibus non suppetat doctrina, aut prædicandi gratia, legant & declarent prædicta die Dominica vnum capitulum Ioannis de Gerson, in opere suo tripartito.

Monent om-
nes subdi-
tos.

2. Admonere omnes officii. Concil. Senens. c. 12. Admoneant frequenter curati suos parochianos, ut intersint missæ parochiali diebus Dominicis, & festis per hebdomadam occurrentibus. Et ut ad omnia illa, quæ per singulos dies Dominicos in promissis præcipiuntur, diligenter attendant. Quod si legitimo cessante impedimento, absque licentia sui curati, per tres Dominicos neglexerint interesse Missæ parochiali denuntient statim promotoribus, ut pro mensura contemptus vel offensa puniantur.

Arcent co-
munionem in
corrigibiles.

3. Docere, arcere communionem incorrigibiles. Synodus Augustana anno 1548. c. 8. Parochi de fide & religionis nostræ populum sibi commissum doceant, atque instruant, sacramenta administrent, eorum mysticam gratiam exponant, publicis peccatis irretitos canonice, oculis vero delictis occulte arguant, & ad penitentiam adducant. Incorrigibiles, nobis aut nostro in spiritualibus vicario indicent, ut vel publica satisfactione curentur, vel communionem Catholicam arceantur: paruos quoque & rudes quosque parochie, sue doceant certis temporibus Symbolum fidei, Dominicam precationem, &c. aut ea diebus Dominicis & festis discrete pronuntient, ut reuera duplici honore digni habeantur.

Vita docere
debent.

4. Vita docere. Pelargus in Concil. Treuer. anno 1548. Presbyteros vos ipse quoque, presbyter, obsecro: pascite qui in nobis est, gregem Christi, curam illius habentes non coacti, sed volentes; non turpi lucri gratia, sed propenso animo: neque cum dominium exercentes aduersus Clerum, sed sic ut sitis exemplaria gregis: & cum apparuerit princeps postorum percipientis immarcescibilem æternæ gloriæ coronam. Certe vel hinc colligetur, non satis esse comodo pastori ad populum & suggestu agere, nisi & vita seu conuersatione studeat aliorum animis certam morum formam imprimere: idque non necessitate, aut religione officii, neque questus gratia, sed paterno sinceroque affectu.

Sed malo hæc atque alia Archiepiscopi, & Synodi Mediol. 4. verbis proponere. Ita vero inter monitiones habet.

Aurea moni-
ta Caroli
Borromæi
ad paro-
chos.

Quicumque vero estis, qui inter canonicos, prepositi, aut Archiepiscopi, aut aliter dignitatis nomen, gradumve obtinetis, sicut honore, & dignitate præstatis, ita virtutum exemplis, vigilantiaque in vestri muneris, curæque partibus obeun dis sollicitudine præluce.

Parochi præterea, & ceteri quicumque estis, etiam præpositi Archiepiscopi, alique, qui animarum curam geritis, præter ea, quæ vos cum reliquo clero communia vniuersæ monuimus, illa etiam, quæ præcipue de vobis decreta sunt, præstate omni sollicitudine.

In primis oues, vobis concredite, cognoscenda sunt, & appellanda nominatim, pasce & custodienda item.

Animarum igitur numerum in catalogum redigite ad scriptam normam.

Eorum, qui baptizantur, qui item confirmantur, & com-
patrum etiam qui adhibentur, nomina describite.

Matrimonia in codicem referte.

Parochia vestra incolarum vitam, & mores inuestigate.

Indagate omni studio, si qui hæresi cõtaminati sint, aut suspecti, aut si qui sint, qui hereticorum libros habeant, vendant, emant, importent, vel legant, eosque statim denunciate.

Monete etiam populum, ut id ipsum etiam præstet, ad nostri edicti præscriptum: quod statim temporibus de more promulgate.

Perquirite de dictis, & factis eorum, qui ex hereticorum finibus veniunt.

Dispicite, si qui è parochia vestra finibus ad loca profisciscantur, ubi impune predicatur, quod à Catholica fide alienum est; tum etiam an in projectionis facultate impetrata agant ad præscriptum decreti in Concilio provinciali tertio promulgati. Inuestigate præterea de iis, qui in vestra parochia docent, eorundemque mores, vitam, & fidem obseruate, reliqua de iis ipsis præstate, quæ Conciliis provincialibus præscripta, iussu sunt.

Videte, & cauete, ne superstitiones, magica cõtentiones, & eiusmodi diabolice superstitiones in populo vestro sint.

Cognoscite publicos peccatores, corruptores aliorum, concubinos, adulteros, usurarios, blasphemos, & denunciate.

Cognoscite etiam alios populorum corruptores, qui festis diebus non Deo, sed aleis, ludis, choreis, diabolo seruiunt, quique festorum dierum cultum quouis modo violant, quales sint, neque obseruant pontificias, neque provinciales de diebus festis colendis constitutiones, aut edicta Episcopalia.

Istos ab ea male agendi corruptela reuocare, ac detertere, omni pietatis officio studete, tum Episcopo etiam, sicut opus erit, significare, ut pro curæ Episcopalis officio salutare remedium afferatur.

Rursus agnoscite etiam pauperes, viduas, pupillos, ceterosque, aliena ope egenes, quibus & salutari consilio, & consolatione, & re subuenite, aut si minus re potestis, cohortatione alios accendite ad eos subleuandos.

Sique illorum grauior inopia deposcit, festis etiam diebus à pia fidelium libertate aliquid in Ecclesia colligendum curate, ut ab Episcopo præscribitur, quod ipsis in elemosinam conserratur.

Seorsum etiam locupletes parochie incolæ conuenire, quibus pauperum egestates proponite, & ostendite eis diuitias à Deo propterea etiam esse tributæ, ut inopibus succurrant.

Si qui autem potentiorum opibus in causa aliqua oppressi sunt, illos vnice, atque intime eorum patrocinio commendate, qui vel ex suscepto officio id præstare debent, vel quibus Episcopus hanc curam dederit.

Pascite in primis populum vobis commissum prædicatione verbi Dei, salutaribus monitis, administratione item sacramentorum, exemplo, & oratione.

In verbo Dei exponendo plane obseruate, quæ constitutione provinciali, & aliis concionatoribus, & vobis præscripta sunt.

Pueros festis, dominicisque diebus in doctrina Christiana rudimentis instruite.

rouetiore ætatis homines ad eadem intelligenda inuitate.

Patres, Matresque familias monete, ut filios, filias, ceterosque quos in familia habent, ad statas doctrinæ Christianæ scholas ipsi conducant.

Confratrum, qui in scholis adscripti sunt, operam ad hoc institutum adhibere, curateque ut mutua inter eos charitas, morumque disciplina consuetur.

Alios etiam ad tam pium opus amplectendum alacriores reddite, atque excitare tum assiduæ vestri cohortationibus, tum promulgatione thesauri spiritualis indulgentiarum, iis concessis, qui in scholis adscribuntur, in illisque operam nauant.

Ne omittite diebus festis inter missarum solennia aliquid ex iis, quæ in Missa leguntur fidelibus exponere, & sanctissimi illius sacrificii mysterium aliquod explanare, & aliquando sanctiores illius sacrarum ceremoniarum, rituumque, rationes, & significationes explicare, quo diligentius instructi indies sacrosancto illi sacrificio religiosius intersint.

Docere

Docete item, quomodo fideles signo Missæ celebranda dato, se corde contrito ad eam sanctè audiantur parent.

Curate, atque efficitur perpetuis vestris monitioni officiis, ut in illa viri aperto capite, mulieres velato, & in omni eius parte retroque genuflexo, præterquam in Evangelio adsint.

Instruite etiam eos, quam religiose non solum in Missa sacra, verum etiam in diuinis aliis officiis versandum.

Quando standum, quando genua flectenda, quando assurgendum.

Quam valde, dum illa sunt, celebrantur, fugienda confabulationes, colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, imo vero inanes cogitationes, quibus à pia meditatione, & mysteriorum, quæ aguntur, contemplatione, religioque oratione animus distrahitur: quam denique studiose vitanda reliqua omnia ab eorum officiorum sanctitate, & cultu aliena.

Rursus quam sanctè item, quam religiose, & quam demisso, humilique habitu in supplicationibus, litanis, & stationibus versandum.

Qua reuerentia, quoue pietatis studio in ecclesiis, locisue sacris manendum sit, quæ ab aliis procul abesse debeant, idque ex sanctionibus pontificis, constitutionibus, conciliaribus, Episcopalis præterea edictis.

Qua etiam, non solum intima religiosi animi præparatio, sed externa etiam cultus, vestitusque modestia, humili genuflexione, & armis depositis, ad sanctissimam communionem, tum etiam ad certa sacramenta accedendum sit.

Tum, docete, ac monete, quomodo dies festi colendi & sanctificandi sint.

Ostendite indignissimum esse sacris illis diebus, non modo à nefariis operibus illicitisque negociis non abstinere, verum etiam religionis, ac pietatis opera non præstare omni diligentia.

Ac præterea nefas esse, sacros dies ad maxima Dei beneficia colenda, summasque ei laudes persolendas, ac debitum sanctis honorem tribuendum institutos, ad illa traduci, quæ ab eo cultu abhorrent: qualia sunt tripudia, ludi, choreæ, spectacula, quibus ad turpes illecebras incitantibus, salutis humana hostis, diabolus oblectatur.

Denunciate item statim sacrorum temporum ieiunia, docete quomodo ieiunandum, quæ peccati grauitas in violandis sacris ieiuniis.

Quæ præterea Christianæ pietatis officia in sanctorum vigiliis.

Quam sanctè obseruandum quadragesimale ieiunium.

Statis autem solennibus, vel aduentus, vel septuagesimæ, vel aliorum temporum celebratibus præmonete fideles, atque diligenter ex pastoralium etiam litterarum præscripta recitatione, ac ratione instruite ad sacra illorum temporum mysteria, sanctis pietatis officiis religiose colenda.

Utque iis omnibus pro temporum solemnitatibus queratione illi instrui possint, sæpe monete, ut dominicis, aliisque festis diebus, quemadmodum sacra Tridentina Synodus optat, ad parochialem Ecclesiam conueniant.

Qua in re sæpius monitionem pastorem de genere frequentii populo legite.

Sæpe autem, ac diligenter eosdem docete, quam assidue orandum sit.

Quomodo & tacita supplicis mentis meditatione, & piis statim orationibus precandum.

Quam studiose, ac religiose suscipiendum vespertina communis orationis institutum, quam diligenter illud semel susceptum, pie retinendum.

Ideoque cum alias sæpe in anno eam orandi rationem cum indulgentiis concessis per summa capita explicate, tum præcipue diebus, Concilio provinciali tertio constitutis, in maxima populi frequentia descripto pronunciate, atque enulgate.

Dominicis diebus instruite populum, & monete, pro quibus orat, ut est in eodem provinciali Concilio decretum.

Tum præterea, quas singulis hebdomadae feriis, præcipuas preces, Christianasque meditationes, atque in orando exercitationes sibi propositas in promptu habere possit.

Quam sæpius vero sermonibus vestris populo proponite locos perpetua Christiana meditationis, de morte, de iudicio, de inferno, de gloria, & de premio Paradisi.

Monete præterea sedulo, ac frequentissime patres, matresque familias, ut liberos, saluamque suam ad pietatis, Christianarumque virtutum disciplinam religiose instituant.

Ad hoc præterea patres familias inducite, ut de vitæ spiritualis ratione, & piis exercitationibus libros probatos domi sue habeant, in quorum lectione versentur, seseque ac familiam instituant ad sanctè agendum.

De patrum familias officio, familieque institutione, editam in Concilio tertio Provinciali constitutionem in parochiali conuentu legite, singulasque eius partes explicate.

Tum alia præterea docete, quæ opportuna existimaueritis, quibus illi se, suamque familiam in Christiana vitæ institutis, atque exercitationibus conforment.

In officiis etiam, & tabernis disciplina, vitæque Christianæ ratione obseruate, si quid autem vel ab artificibus, vel ab institutoribus, operariis committi animaduertitis, quod dissoluta disciplina sit, id officinarum, tabernarumue dominos grauitè monete, ostenditeque ea in re officii sui partes.

Estis pauperes, & socii laborum, curaque Episcopalis, & in messe Episcopo commissæ, operarii estis, elaborate vna cum eo, & contendite, ut populus, cuius cura geritur, tanquam purum triticum, auxiliante diuina misericordia congregetur in horrea celestia.

Depositum custodi, inquit B. Apostol. Paulus, id quod vobis singulis dictum esse putate, ut in grege, tanquam deposito fidei curaque vestra commissio diligenter custodiendo, ab omni peccati labe conseruando cogitationem, sollicitudinem, curam studiumque omne collocetis.

Parochiæ igitur, vnicuique vestrum concedite viciniam, cum à ceteris vitis omnibus vos singuli sollicite custodite; tum curate etiam, ne odia, similitates, inimicitie, factiones, ne remeuerandi, maledicendi, imprecandi praua consuetudines ac ne detractiones quidem in ea sint.

At vitia in primis, & peccata, ad quæ populum procliuiorem esse animaduertitis, reprehendite, atque exagitate.

Nec vero dissimulate peccata: sed annunciate populo scelera eius, publice peccantes coram omnibus arguite, ut alii timorem habeant.

Idque agite Spiritu fortitudinis Domini, & ut strenui eius milites, bonam militiam militare, nihil planè trepidantes.

Si ab increpatione, vos monet S. Gregorius, reticueritis, quia contra vos odia insurgere reformidatis, non iam Dei lucra, sed vestra queritis.

Non maledictis, non vexationibus, non calumniis, non alicuius generis contumeliis illud, vel increpandi, vel palam arguendi officium deserite, modo Christi gloria, & animarum salutem seruiatis.

Rursus non aucupanda hominum gratia studio id agere destitite; seruus Dei non essem, si hominibus placerem, inquit Apostolus.

Væ vobis tacentibus, aut dissimulantibus, si grex cura vestra commissus perierit: sanguinem eius de manibus vestris requirere iustus & omnipotens Deus.

Si igitur peccatur, ne in increpationibus verba vestra blandimenta sint, sed, ut à Spiritu sancto scriptum est, stimuli sint, & quasi clauis, in altum desixi.

Instate opportune, importune priuatis etiam admonitionibus, consiliis, correptionibus, obiurgationibus, ut peccantes, adiutrice diuina gratia, in viam salutis reuocetis.

In vsu etiam sanctè ita reuocate fraternam correctionem, ut non modo mutua Christiana caritate vos ipsos corripiatis, sed reliquos item, præsertim parochia incolas id charitatis, & correctionis officium rectè doceatis.

Ad sermonum vero, admonitionum, correctionum partes explendas, locos vobis comparate, præcipue ex doctrina catechismi Romani, in quo magna cum populorum vestrorum saluari utilitate versari diligenter potestis.

Negue ad hoc multiplex vestra Ecclesiastica tractationis genus negligite adiumenta, quæ aliunde utiliter capere potestis.

Cetera autem officia, quae in Sacramentorum administratione, in assidua ad frequentem eorum usum cohortatione, in agrorum cura, in aliis parochialis muneris functionibus, vobis provincialibus, Diocesanisque Conciliis praescripta praestate, atque exequimini accurate, ad earumque conciliarium constitutionum, decretorumve normam, omni obseruantia atque obedientia studio vos plane conformate.

Quae vero decretorum Provincialium, vel Diocesanorum partes ad laicos eorumque Christianam disciplinam attinent, quo sapius euulgatae, atque inculcatae seruentur diligentius: illas, summatim vulgari sermone expressas, crebro, prout vsu venerit, populis vestris proponite, denuntiate, explicate, atque in consuetudinem inducite.

Quaecumque denique vel ad vos, vel ad laicos, cura vestra commissos pertinent, ea decreta, quo maxime potestis studio, in omnem executionem, disciplinamque vsu introducite. Videte, quae in primis, ac perpendite, quae sint, & quam religiosa muneris vestri partes: cauteque ut in officio, & cura vestra functionibus non modo quicquam vos non committatis, sed ne omit- tatis quidem: cum in sacerdotali vita, pro muneris, quod susti- netis, ratione, tum grauioribus, tum longe plures, quam in cate- ris hominibus esse possint, omissionis culpa.

CAPVT XLVI.

*Monachorum varia instituta Reipublicae
utilia esse, & eorum modus ac
ratio.*

Nunc inter §. 1. **Christianos** **& fratres** **mundus est.** **S** in vrbe sancta ab initio vixit, non opus esset ea, quam nunc videmus religionum varietate; tum enim sanctorum erat congregatio, nunc plurimi Christiani ita viuunt, ut de mundo sint, & mundani videantur; imo eo vitia profecerunt, ut etiam Eccle- siae, & praebendae seculares appellentur, de profani- tate vocabulorum non queror, modo religio morum teneatur. omnes Christiani mundo, diabolo, & pompis eius renunciamus, quod ad salutem est necessarium, multi arctioribus se legibus, castitatis, paupertatis, obedientiae perpetuae obstrinxerunt. Eorum aliquam vitam contemplatiuam, alii acti- uam profitentur, plerique ex utraque mistam; quia nec Maria sine Marta vitae necessitatibus uti potest, nec Marta sine Maria ad pedes Domini sedere.

De ordi- **bus religio-** **rum va-** **rii tracta-** **tus.** **M**ihi nec laus religiosa vitae, nec defensio, nec or- dinum diuersitates exponenda sunt. Haec enim inter- gros tractatus postulant, & a multis egregie praesti- ta sunt. sed tantum Reipublica instruenda est, quo- modo tot sanctorum exemplis recte utatur.

§. 2. Inique faciunt, qui de religiosorum mul- titudine, ac varietate queruntur. Cum omnes pene temperate, plerique pauperime viuunt. offendunt te sacra agmina Deo canentium, castorum, pauperum, ieiunantium, quibus dignus non est mundus; & non offendunt tot agyrtarum, decoctorum, tabernario- rum, ebriorum, de Xerophagia & ieiunio monacho- rum, non de Apicianis cenis afortorum flagellari credis annonam? Apage eas diaboli technas, quae Dei seruos reddunt odiosos. Tantum vini, cereuisiae- que cum naturae tormento, in ebrietate, ad corporis animaeque perniciem infumitur anno vno in Euro- pa, quantum omnium monachorum qui toto mun- do sunt, sobrietati decennio sufficeret: Vide conui- tiorum frequentiam, intemperantiamque, inuenies me parum dixisse. Hoc est, quod non modo exina- niendo apothecas pauperiem facit, sed iram diuinam irritat, ut grandine, gelu, vredine, licitate spem fru- gis in herba demetat. De hac re supra dixi, nunc de illis quae generalia sunt, omnibusque in Republica consideranda tractemus.

§. 3. Ordines illi qui labore manuum victitant,

vtiles sunt Reipublicae, neque eos vel rude vulgus culpate potest; nam plures simul post psalmodias labori insistant, inter pensa lectio sacra habetur, hymni spirituales canuntur, de piis rebus collocutio instituitur. Nulli isti graues sunt, de labore suo vi- uunt, vnde & aliis benefaciunt. olim ita magna pars eremitarum vixit, agit de his Augustinus l. de opere monachorum. Hoc esse sine intermissione orare docebat Abbas Lucius in Vitis P. cum enim quidam fratres ad eum aduenissent, requisit eos senex, dicens. Quid so- letis manibus vestris operari? At illi dixerunt: Nos nihil manibus nostris operamur, sed secundum quod dicit Apostolus, sine cessatione oramus. Quibus senex dixit: Non manducatis? At illi professi sunt. Etiam dixitque eis: Quando ergo come- ditis, quis pro vobis orat? At illi conticuerunt. Et iterum re- quisit eos, dicens: Nunquid dormitis? cumque illi se dormi- re dixissent, dixit eis: Quando ergo dormitis, quis orat pro vobis? & non inuenerunt, quid responderent ei: Tunc dixit eis. Indulgete ergo mihi, quoniam non facitis, sicut dicitis. Ego autem oro. Sedeo enim de mane vsque ad horam constitutum, & pauca palmarum folia infundo, & facio exinde funicu- los, & interim oro dicens. Misere mei Deus secundum ma- gnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Cumque percomplexero opera manuum mearum & fecero aliqua va- sa, aut paucos funiculos, & emergo ex eis nummos decem, ex ipsis nummis duos do pauperibus, & reliquos comedo. Quan- do ergo comedo aut dormio, tunc illi pro peccatis meis sine ces- satione implent orationem meam. Ita in vicijs Patrum libr. 3. pag. 53. num. 21.

Huiusmodi ordines & Pontifex facile appro- babit, & Reipublicae suscipient. Nam orationum & psalmodiarum tempus praescribet; nempe illud quod saeculares, conuiuiis, lusuibus, ambulationique tri- buunt; & magnam utilitatem adferent; victus enim, vestitus, habitatio exiguis sumptus requirer, opera sua minore, quam alij precio diuident, quia mi- nore sumptu viuunt. Opera vero non vnius modi facienda; olim sportulas contexebant, quod vici- tissimum erat in Aegypti iuncetis, & carectis, cumque paucissimis oleribus, & pane vescerentur, non mul- to labore sumptus tolerabant. Hortorum etiam cul- tura conueniens est, ideoque eiusmodi monasteria in villis suburbicariis mallet, quam in ciuitatibus, ut hortum excolerent, qui altera est succidia, & res tamen suas in vitibus distrahere possent. Ad eos quoque pertinet scriptio, compactio, ornatuque librorum, addo & impressio. Nec minus pingendi, scribendi, texendi sacras imagines, & ornamenta templorum, quicquid demum opere tornatili, aut arcularij fieri consuevit.

§. 4. Qui manuum operibus non viuunt; illi vel redditus suos in communi possident, atque ex ijs vi- uunt; vel ex eleemosynis sese sustentant. Prouenti- bus dotata sunt monasteria ordinis sancti Benedicti; aliorumque qui hospitalitatem exercent, illa quam- uis inuidiam apud cupidos patiantur, pauperibus tamen grata sunt; nam plus eleemosynarum saepe vnius monasterij praestatur, quam integras ciuitates, largitur. Horum institutum est sanctissimum, quo- tidie plures horas diuinas laudes canendi, orandi, silentij, ieiunij, aliorumque cultuum disciplina se- uera. Concionantur interdum, atque alia munia sa- cerdotum exequuntur, noctis praecipuam partem in precibus, sacroque cantu transigunt. Hos inutiles esse Reipublicae, nemo vnquam suspicatus est; nam praeter sacras occupationes, alijs quoque officijs operam impendunt, totus septentrio, per eum ma- xime ordinem Christianam fidem accepit. Abba- rum plurimorum fidelissima, vtilissimaque opera sunt vsu imperatores; fecitque eorum religiosa vir- tus & modestia, & spectata prudentia, ut complures etiam

Oratio sine
cessatione.

Labores
monacho-
rum.

Monasterijs
opulentis
comendata
est hospita-
litas.